

orat. fictam personarum inductionem. *Fab. l. 9.* Fictio-
nes personarum, & *Auctor ad Heren. 4.* Sermocinatio-
nem nominat. *Vbi nota perinde esse siue persona sit vera, si-
ue fingatur & habeatur tanquam persona.*

2. Estque vel imperfecta vel perfe-
cta.

(*Distributio ex Adiunctis est. Alii in directam & obli-
quam distinguunt. Quæ distinctio eodem recidit.*)

3. Imperfecta est, cum sermo alienæ
personæ leviter & obliquè repræsentatur,
ut, *Hi vos (quoniam liberè loqui non li-
cet) tacitè rogant, ut se quoq; sicuti ceterarum
provinciarum socios dignos existimetis, quo-
rum salutem tali viro commendetis. Cicero
pro L. Manil.*

(*Dicitur imperfecta respectu perfectæ; aliàs Indirecta &
obliqua appellatur, quia non affingitur persona directæ & in-
tegra oratio, qua ipsa illa per se loquatur, sed leviter & obliquè
quid alii dixerint, vel rogaverint vel cupierint exponimus. Sic
Cicero in allat. exemplo imperfectè introducit Ascaticos rogan-
tes ut Mithridatico bello præficiatur Pompejus. Sic Cesar I.
comment. de legatis Helvetiorum refert, quidnam rogarent à
se, non autem ipsos loquentes introducit. Qui dicerent, scribit,
sibi in animo esse, sine ullo maleficio iter per provinciam facere:
propterea quòd iter nullum haberent aliud: rogare, ut ejus vo-
luntate id sibi facere liceat.*)

4. Perfecta est, cum tota fictio per-
sonæ oratione nostrâ directè repræsen-
tatur. *Sic Sapient. 5. v. 1. & seqq. tremores
& angustia damnatorum eleganti prosopo-
pœia describuntur.*

H 2

I. Tunc